

Isidorus *Etymol.*, lib. XII, c. 21? Illud fortasse facilius creditur foret, fuisse isthæc privatorum organa, neque ad ecclesiasticum usum traducta. Venantius tamen Fortunatus, qui, vergente ad finem sæculo VI floruit, in *Vita S. Germani*, Parisiensem Ecclesiam organa, cujusmodi nostratia sunt, habuisse testatur hisce carminibus:

...Exiguus attemperat organa cannis,  
Inde ructat ab ore tubam.

(20. De Vitaliano Pontif., quod auctor fuerit, id quidem in vulgi ore est; hoc tamen, inquit Ferrarius in *Sanctis Italiae*, cum Ecclesia Romana organis minime utatur præsentem Pontifice, minus probabile videtur. Octavo sæculo in Gallis plane ignorabantur ante Pipinum, cui a Constantino imperatore dono missa fuerant, acceptaque veluti numquam visa, ut narrant Sigebertus ann. 766, Annalista Metensis ann. 757, et Eginhardus, in *Vita Caroli M.* Ipso autem illo sæculo VIII organis, et organistis Romanæ Ecclesiæ adeo instructæ erant, ut Monachus Engolismensis in ejusdem *Caroli Vita* testetur, a cantoribus Romanis, qui in Gallias migrarant, fuisse Gallos in arte organandi institutos. Veronensem quoque Ecclesiam, Carolo M. imperante, organum habuisse ex quibusdam chartis ab Ughellio redditus Cangius colligit. Quod tamen mireris, labente sæculo IX organorum artem Roma paulatim dediderat. Id satis indicat Joannes VIII qui epistola ad Annonem episcopum Frisingensem eum rogat, ut « optimum organum cum artifice, qui hoc moderari, et facere ad omnem modulationis efficaciam possit ad instructionem musicæ disciplinæ ipsi aut deferat, aut cum eisdem redditibus mittat. » Hinc enim perspicuum fit, sæculo IX neque organum, neque qui illud pulsaret, Romæ existisse. Baleus tradit, organi usum circa ann. 660 a Vitelliano Angliæ episcopo primitus in Anglicanam Ecclesiam invecum fuisse; sed huic auctori non admodum fidendum est, et fortasse, quod liber Pontificalis, Platina, Leander, Albertus, alique Vitaliano Romano Pontifici tribuerunt, Vitelliano suo liberaliter ascripsit. In ecclesias Græcas nunquam fuisse organa recepta, ex omnium Græcorum liturgicorum librorum silentio discimus. Neque in omnibus adhibebantur, ut ecclesiis Latinis XIII sæculo adhibebantur, ut satis constat ex S. Thoma 2-2, quæst. 91, art. 2; imo sæculo XII S. Ælredus Rievallis abbas, S. Bernardi olim discipulus, organa Judæis propter eorum inertiam, socordiam, languidumque animum concessa, a Christianis docuerat haud esse adhibenda: cum ipsis loco organorum corpore uti liceat, ubi singula hominis membra ea faciant, quæ Deo gloriam, et laudem afferunt. Narrat Vantilius, Bernardum quemdam natione Germanum, qui ann. 1480, Venet. organum pulsans agebat, organis *pedalia* addidisse. Confer quæ de organis disseruerunt clariss. viri Emmanuel de Azevedo, *Diss. de cantus eccl. orig. et forma*, Franciscus Xaverius Zecch., *De campanis, et instrumentis musicis*,

et Petrus Pompilius Rodota, in commentario ad epistolam encyclicam Benedicti XIV, datam die 29 Februarii an. 1749, p. 45, n. 10. Utinam vero servaretur in omnibus Ecclesiis Senonensis concilii caput 17, quo cavetur, ne « in Ecclesia organicis instrumentis resonet impudica aut lasciva melodia; sed sonus omnino dulcis, qui nihil, præter hymnos, et cantica spiritualia, repræsentet. » \*

(21. Organa, et quæcunque alia instrumenta musica nequeunt adhiberi in missis defunctorum. Sic Benedict. XIII in *Concil. Romano*, tit. 15, cap. 6.

(22. Pro complemento afferuntur quæ de musica habet sapientissimus Tostatus tom. I, in *Genes. in Epistolam divi Hieronymi ad Paulinum*, cap. 6, verb. *Musici*, ibi: « Musica enim harmonicis vocibus, tubarum flatibus, et pulsantibus concrepat organis. » De hoc ait Augustinus: « A terra usque ad cælum mensura celestis musicæ mensuratur: est namque in terra, *Gama ut*, in luna *Ar*, in Mercurio *Be mi*, in Venere *Ce fa ut*, in sole, *De sol re*, in Marte *E la mi*, in Jove, *Ef fa ut*, in Saturno, *Ge sol re ut*; sunt namque a terra usque ad firmamentum septem toni; a terra usque ad lunam, est unus tonus; a luna usque ad Mercurium est semitonium; a Mercurio usque ad Venerem est semitonium; a Venere usque ad solem, sunt tria semitonia; a sole usque ad Martem, est unus tonus; a Marte usque ad Jovem, est semitonium; a Jove usque ad Saturnum, est semitonium; a Saturno usque ad firmamentum, sunt tria semitonia, quæ universa conjuncta septem tonos efficiunt: tonus autem secundum quosdam continet quindecim millia miliaria. » Hæc ille, qui in *Josue* cap. x, qu. 14, addit sic: « Philosophi tamen dicunt, esse in cælo omnes proportionales harmonicas musicorum, et esse tonos, atque semitonia. Non quidem, quod ibi sit aliqua vox, secundum quam considerantur istæ proportionales: sed accipiuntur isti toni, et semitonia, vel proportionales vocum secundum duo, scilicet secundum magnitudinem et proportionem distantie cæli unius ab altero, computando a superficie concava cujuslibet, usque ad convexam, et quia non sunt omnes cæli æquales in magnitudine; et proportio magnitudinis, et distantie planetæ a planeta, et secundum hoc a quibusdam planetis ad alios sunt semitonia, ab aliis vero ad alios sunt toni integri; sicut describit Marcianus, Mineus Felix Capella, lib. II *De nuptiis Mercurii et Philologiae*. » Hæc ibi.

(23. Musici instrumenti sonatores Christiani prohibentur inservire in infidelium festivitibus, et sacrificiis. Benedictus XIV in constitut. incip. *Omnium sollicitudinum*, § 3 et 14.

(24. Musicus cantus et musicalia instrumenta sunt in usu in ecclesiis, quibusdam exceptis, id est capella pontificia et ecclesia Lugdunensi. Bened. XIV, constitut. incip. *Annus*, § 4. Nonnulli graves viri musicam in

ecclesiis laudant, alii improbant. Idem, *ibidem*, et § 4 et 5.

(25. Musica non erat in usu in ecclesiis S. Thomæ Aquinati cognitis. Idem, *ibid.*, § 4. Cardinalis Thomasius illam vetuit in sua titulari ecclesia. Idem, *ibid.* Marcellus secundus Papa eamdem abolere deliberaverat, sed audita in missis musica excellentis auctoris ad pietatem apta, voluntatem mutavit. Idem, *ibid.*, § 5.

(26. Musicam prohibere concilium Tridentinum proposuit, sed Cæsareis legatis suadentibus, illam, dummodo honestam, toleravit. Idem, *ibid.*, § 5. Musicus ecclesiarum cantus, debet a theatri differre. Idem, *ibid.*, § 6, ac talis esse, ut verba distincte proferrantur, et intelligantur. Idem, *ibid.*, § 9.

(27. Musica periti fuerunt nonnulli Romani Pontifices, id est Gregorius Magnus, Leo II et Leo IX, et Victor III. Idem, *ibid.*, § 7. Musici cantores in sacris functionibus legem chori sequi debent. Idem, *ibidem*, § 9.

(28. Musica instrumenta in Veteri Testamento adhibebantur, et aliquid figurabant. Idem, *ibidem*, § 4. Vetus Ecclesia ea non adhibuit, ut Christiani longius recederent a profanis ritibus gentium illa adhibentium. Idem, *ibidem*, § 5. Nunc autem harmonici cantus usus usque ad Paraquariam pervenit. Idem, *ibidem*.

(29. Musica instrumenta quædam permittuntur in musicis ecclesiasticis, alia prohibentur. Idem, *ibid.*, § 11, ubi hæc tradit: « Hominum prudentum et illustrium magistrorum artis musicæ consilium exposcere nobis curæ fuit; consentaneum autem cum eorum sententiis est, ut fraternitas tua, si in tuis ecclesiis instrumentorum usus introductus fuit, cum organo musico nullum aliud instrumentum permittat, nisi barbiton, tetracordon majus, tetracordon minus, monaulon pneumaticum, fideulas, lyras tetracordes: hæc enim instrumenta inserui ad corroborandas, sustinendasque cantantium voces. Vetabit autem tympana, cornua venatoria, tubas, tibias decumanas,

fistulas, fistulas parvas, psalteria symphoniaca, cheles, aliaque id genus, quæ musicam theatralem efficiunt. » Et vulgari idiomate sic: « Non abbiamo tralasciato di ricercare il consiglio in Roma, e fuori di Roma d' uomini assennati, ed insigni maestri di cappella; e coerentemente al loro consiglio, quando nelle sue chiese sia introdotto l' uso degli strumenti, non ammetterà coll' organo altro, che violoni, violoncelli, fagotti, viole, violini, che servono per rinforzo maggiore di quelli, che cantano: E bandirà i timpani, i corni da caccia, le trombe, gli oboè, i flauti, i flautini, i salterii moderni, i mandolini, i simili strumenti, che non servono, che per rendere la musica teatrale. » Et eorum sonus talis sit, ut cantum juvet, non opprimat. Idem, *ibid.*, § 12. Musica apud Hebræos usitata fuit in templo, non in theatris. Idem, *ibid.*, § 10.

(30. Musica in ecclesiis improbatore tempore majoris hebdomadæ, aliisque diebus. Olim in ecclesia Lucensi per idem tempus adhibita, ab Alexandro zelantissimo ejus episcopo vetita fuit. Cum autem quidam exempti ab episcopi jurisdictione se episcopali lege minime teneri prætenderent, episcopus rem detulit ad Summum Pontificem S. Pium V, qui in ejus brevi dato 4 April. 1571, deplorata primum humanarum mentium, et carnalium hominum cæcitate, qui mundanarum oblectationum illecebris, et sensuum voluptatibus se regendos, ferendosque tradunt sacris illis diebus, laudato episcopi edicto, decretis concilii Tridentini inhærens declarat, eodem edicto comprehendendi, atque obligari etiam ecclesias, quæ ab auctoritate ordinaria, privilegio apostolico, vel alio quocunque jure exemptas se esse contendunt. Idem, *ibid.*, § 13, ubi subjungit, quod in concilio Romano habito anno 1725, tit. 15, num. 6, varia leguntur decreta de usu musici cantus, instrumentorumque in Adventu, in Dominicis Quadragesimæ, et in exsequiis mortuorum.

(31. Alia ad rem, *Vide* verb. *CANTIONES*.

## MUTUUM.

### SUMMARIUM.

1. Mutuum unde dictum? — 2. Mutuum quid sit? — 3. Mutuum dare, et accipere possunt omnes illi, qui possunt contrahere. — 4. Civitas, ecclesia, monasteria, et alia pia loca non obligantur ad restituendum, et solvendum mutuum, quod eorum rectores, seu administratores acceperunt, nisi creditor probet, mutuum in civitatis, vel ecclesiæ, seu aliorum piorum locorum utilitatem conversum fuisse. — 5. Filii, vel filiaefamilias, si sine consensu parentum pecuniam mutuo acceperint, neque ipsi, neque parentes ipsorum tenentur ad restitutionem mutui. — 6. Filiaefamilias non obligantur ad restitutionem mutui, etiamsi 25 annum suæ ætatis excedant. — 7. Filiaefamilias neque post obitum parentum tenentur ad restitutionem mutui, quod ipsis viventibus acceperunt. — 8. Tale privilegium valet non solum pro foro exteriori, sed etiam pro interiori conscientie. — 9. Excipiuntur multi casus in quibus filiaefamilias, et quandoque ejus pater tenetur mutuum restituere. Primus igitur casus est,

quando filius habet bona castrensia, vel quasi castrensia. — 10. Secundus casus est, quando pater approbat mutuum acceptum a filio, vel filius mutuum accepit jussu patris, seu ipso sciente, et non contradicente, et pater erat solitus solvere mutuum filii. — 11. Tertius casus est, quando filius tempore recepti mutui credebatur esse sui juris. — 12. Quartus casus est, quando filius mutuum accepit, et insumpsit in commodum, et utilitatem patris. — 13. Quintus casus est, quando filius mutuum accepit ob causas, propter quas pater secundum rectam rationem tenebatur subministrare. — 14. Sextus casus est, quando filius tempore mutui accepti erat militiæ addictus. — 15. Septimus casus est, quando filius mutuo accepit non pecuniam, sed aliam rem, dummodo sine ulla fraude legis. — 16. Octavus casus est, quando filius non accepit mutuum, sed fidejubeat pro mutuatario, sine fraude legis. — 17. Præcisus supradictis casibus, filiaefamilias non tenentur ad restitutionem mutui, etiamsi renuntiaverit privilegio Macedoniani. — 18. Imo filiaefam-

miliis nec tenetur ad restitutionem, etiamsi iuraverit tale mutuum restituere. — 19. Adducitur et solvitur instantia. — 20. Pupillus habens tutorem et minor habens curatorem, si sine tutoris, vel curatoris consensu aliquid nomine mutui accipiat, de jure civili non tenetur ad restitutionem, si illud amisit, aut imprudenter consumpsit: tenetur tamen, si ex ipso in aliqua parte factus est ditior, et hoc etiam in foro conscientiae. — 21. Mutuare indigentibus est consilium, nihil tamen sperare tanquam debitum ex ipso mutuo, est præceptum. — 22. Usura est prohibita, nedum jure humano ecclesiastico sed etiam jure divino. — 23. Mutuare ea intentione, ut acquiratur aliquid ex mutuo, tanquam debitum ex justitia, etsi id minus principaliter intendatur, est usura. — 24. Mutuare cum pacto conferendi aliqua supra sortem, non tanquam debitum justitiae, sed gratitudinis, est usura. — 25. Mutuans non potest aliquid supra sortem exigere a mutuario, ex quo se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. — 26. Mutuans non potest aliquid supra sortem exigere a mutuario pro sola carentia pecuniae, quam ei actualiter numeratam mutnavit. — 27. Mutuans cum pacto, ut mutuatarius ei vendat res suas, etiam justo pretio, vel ut emat res ab ipso, vel ut utatur ejus molendino, seu frequentet ejus officinam, vel ut patrocinetur suae causae, vel ut conducat ejus prædium, vel ut restituat in alio loco, vel ut restituat partem in pecunia, et partem in mercibus, vel ut eum eximat a tributis, seu vectigalibus, vel ut præstet munus a lingua, a manu, ab obsequio, et his similia, committit usuram. — 28. Item usuram committit mutuans cum pacto, ut mutuatarius teneatur fidejuberet pro ipso. — 29. Mutuare frumentum, vel vinum de presenti, quo minoris valet, cum pacto, ut restituitur in eadem quantitate pro tempore, quo prævidetur certo, vel quasi certo pluris valiturum, est usura. — 30. Non est tamen usura, si sit æquale dubium, an pro tempore restitutionis sit valiturum pluris, vel minoris. — 31. Sic pariformiter est dicendum de pecunia mutuata cum pacto, ut restituitur in eadem omnino specie, et numero pro tali certo tempore. — 32. Excipe tamen, nisi ipse mutuator talem pecuniam, tale vinum, tale frumentum, et hujusmodi servaturus esset usque ad illud tempus, quo pluris distrahere potuisset. — 33. Mutuans potest sine labe usurae pacisci, ut mutuatarius teneatur aliquid ultra sortem ei restituere ratione damni emergentis. — 34. Ut autem juste, et licite exigatur talis compensatio damni emergentis, requiruntur tres conditiones, quæ assignantur. — 35. Mutuans potest licite pacisci cum mutuario, ut ei teneatur præstare aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis. — 36. Ut autem juste, et licite exigatur talis compensatio lucri cessantis, requiruntur iidem tres conditiones, quæ assignantur. — 37. Mutuans potest licite exigere aliquid proportionatum ultra sortem ratione periculi ipsam sortem amittendi, aut difficultatis

(1. Mutuum ita dictum est, quod id, quod mutuo traditur « ex meo fit tuum, » textu expresso in *Instil.*, « Quibus modis re contrahatur obligat, » ubi sic præcise habetur: « Inde etiam dictum est mutuum: quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat; » et concordat l. *Mutuum 2*, ff. *De rebus creditis*, et cod. *Si certum petatur*. (2. Unde mutuum recte definitur, quod sit « gratuita rei traditio numero, pondere, vel mensura constantis, facta eo animo, ut statim fiat accipientis, cum obligatione, ut similis sub specie, et bonitate restituatur. » Est in re communis, et desumitur ex ipsismet verbis Justiniani im-

eam recuperandi. — 38. Mutuans potest licite aliquid moderatum exigere a mutuario ratione pœnæ conventionalis. — 39. Mutuatarius, qui non pecuniam, sed alias res mutuatus est; et eas, quales esse debent, non reddit, aut eas non reddit in tempore, seu loco convento, tenetur solvere justam earundem rerum æstimationem pro tempore, et loco, in quo eas reddere debebat. — 40. Si autem non convenit cum mutuante, nec de tempore, nec de loco, in quo eas reddere deberet, tunc reddere eas debet secundum æstimationem, quam habent in tempore et loco in quo petuntur et restituuntur. — 41. Si vero res fuerint mutuo acceptæ secundum æstimationem factam in tempore et loco mutui accepti, tunc mutuatarius eas reddere debet secundum talem æstimationem, licet in tempore et loco restitutionis chariores, seu viliores evaserint. — 42. Si autem æstimatio facta non fuerit in ipso mutui tempore et loco, tunc res reddi debent secundum æstimationem quam habent in tempore et loco quo restituendæ sunt. — 43. Et si, non facta æstimatione, neque de tempore, neque de loco fuerit conventum, tunc debent restituï secundum æstimationem, quam habent in loco, et tempore, quo petuntur, et restituuntur. — 44. Mutuans, accepto pignore a mutuario cum pacto, ut interim fructus pignoris lucretur, nisi adsit alius justus titulus, committit usuram, et tenetur tales fructus perceptos ex pignore computare in sortem. — 45. Assignatur primus justus titulus percipiendi licite fructus ex pignore sine diminutione sortis, et est, si creditor fundum oppignorandum, seu oppignoratum justo pretio emat cum pacto retrovendendi, quoties debitor voluerit pretium refundere. — 46. Secundus justus titulus percipiendi tales fructus ex pignore est, si fundus fructiferus acceptetur in pignus, adjecto contractu censuali. — 47. Tertius justus titulus percipiendi fructus ex pignore est, si pignus sit datum marito, donec ei solvatur dos promissa. — 48. Quartus justus titulus percipiendi fructus ex pignore est, si feudum, vel res emphiteutica detur in pignus domino ejusdem directo. — 49. Contractus ille, qui vulgo dicitur a *godere*, quo scilicet aliquis dat sufficientem pecuniam alteri, ut ipse, quando vititur dicta pecunia, cedat illi domum, vel alteram fructiferam rem interim fruendam, quomodo possit esse licitus? — 50. Qui recusat mutuare pecuniam, sed ipsam tradit indigenti, dicendo, quod emit ab ipso suas vaccas, et easdem ei locat pro pensione annua ei solvenda, excusatur communitè ab usura, si ille alter de facto habeat dictas vaccas vitias, et serventur conditiones: secus vero non. — 51. Ab usura excusatur, qui a se mutuum petenti tradit pecuniam dicendo, quod tali pecunia conducit suas operas ad futuram messem, seu vindemiam. — 52. Regulares non possunt accipere pecunias mutuo, vel ad cambium cum solutione alicujus lucri, vel cum obligatione honorum. — 53. Alia ad rem, ad n. 58. — 59. Subnectuntur *Add. ex alien. man.*, ad n. 69. *V. Monit. edit. Cas.*, ibi.

perator., l. c., ubi dicit: « Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurave constant, veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata... quas res in hoc damus, ut accipientium fiant, et quoniam nobis non eadem res, sed aliæ ejusdem naturæ, et qualitatis reddantur. »

(3. Mutuum dare et accipere possunt omnes illi, qui possunt contrahere, de quibus dictum est satis sub verb. *CONTRACTUS*. Ita *communis*. Contrahere enim ut sic, tanquam genus, comprehendit sub se omnes contractus, adeoque etiam mutuum.

(4. Advertendum tamen est primo, quod

civitas, ecclesia, monasteria, et alia pia loca non obligantur ad restituendum, vel solvendum mutuum, quod eorum rectores vel administratores acceperunt, nisi creditor probeat, mutuum in civitatis, vel ecclesiæ, seu aliorum piorum locorum utilitatem conversum fuisse; alias autem soli dicti rectores vel administratores conveniri poterunt, et nullatenus civitas, vel ecclesia, seu alia pia loca, ut constat ex *Authent. Hoc jus porrectum*, cod. *De sacrosanct. ecclesiis*, quæ refertur etiam in cap. *Ea enim 2*, caus. 10, quæst. 2, et l. *Civitas*, cod. *Si certum petatur*, junctal. 1, cod., *De solut. et liber. debit. Civil.*, lib. xi. Sic Bartolus in l. *Civitas*, ff. *De rebus cred.*, Panormit., cap. 1, *De deposit.*, num. 9, et fusius cap. *Quod quibusdam*, *De fidejussor.*; Lugo, tom. II, disp. 23, sect. 1, n. 2; Rosignol., *De contractibus*, tract. 3, *De mutuo*, prænot. 4, n. 4; Reiffenst., *Theolog. moral.*, tract. 8, dist. 5, *De contractibus*, quæst. 1, n. 7; Engel tit. *De pactis*, n. 43, et alii passim.

(5. Advertendum est secundo, quod si filii, vel filiæfamilias sine consensu parentum pecuniam mutuo acceperint, neque ipsi, neque parentes ipsorum teneantur ad restitutionem mutui. Sic expresse habetur in l. 1 et sequentibus, ff. et cod. *Ad Macedonianum*, et *Institut. Quod cum eo, qui in aliena est potestate*, § penult. Cum enim quidam Macedo fenerator soleret mutuum dare filiisfamilias indigentibus, qui postea, cum non haberent unde restituerent, moliebantur mortem suis parentibus, ut in eorum bonis succederent, quibus possent satisfacere. Ad occurrendum his gravissimis malis, conditum, et promulgatum fuit senatusconsultum *Macedonianum*, ab ipso Macedone sic dictum, quo iidem filiifamilias eximuntur a quocunque onere restitutionis.

(6. Filiifamilias non obligantur ad restitutionem mutui, etiamsi vigesimum quintum annum suæ ætatis excedant, quia dictum privilegium factum est, non tam in favorem filiorum, quam parentum, ut sic parentes liberentur a periculo mortis, quæ ipsis a filiis ratione similis mutui potest intentari, mors autem potest parentibus intentari a filiis, sive annum vigesimum quintum excesserint, sive non, adeoque etc. *Communis*.

(7. Filiifamilias neque post obitum parentum tenentur ad restitutionem mutui, quod, ipsis viventibus, acceperunt, quia dictum senatusconsultum *Macedonianum* exstinguit in initio contractus totaliter obligationem restitutionis similis mutui; obligatio autem semel exstincta non amplius reviviscit, adeoque, etc. Molina disp. 301, versic. *Privilegium hoc extenditur*; Azorius, *Instil. moral.*, p. III, lib. VII, cap. 3, q. 4; Rosignol., *loc. cit.*, n. 5; Lugo, *loc. cit.*, n. 3, et alii passim.

(8. Tale privilegium valet, non solum pro foro exteriori, sed etiam pro interiori animæ, seu conscientiæ, quia hæc lex publica auctoritate inducitur in commune bonum, et justa est; quælibet autem lex justa obli-

gat, et valet, non solum pro foro externo, sed etiam pro interno, adeoque, etc. Sic expresse tenent Innocentius, et Panormitanus in c. *Quia plerique*, *De immunitate eccles.*, n. 26; Antonius Gomez, tom. II, *Resolut.*, c. 6, n. 2; Lugo, *loc. cit.*, n. 3; Lessius, lib. II, cap. 20, n. 8; Herinex, disp. 3, *De contractibus*, n. 5; Rosignol., *loc. cit.*, n. 6; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 8; Sanchez, et alii passim.

(9. Excipiuntur multi casus, in quibus filiifamilias, et quandoque ejus pater tenetur mutuum restituere, nec potest uti exceptione senatusconsulti *Macedoniani*. Primus igitur casus est, quando filiifamilias habet bona castrensia, seu quasi castrensia, quia tunc, cum filius habeat, unde solvat independenter a bonis patris, cessat periculum ipsius occisionis propter talia bona. Sic expresse habetur l. 1, § ultim. et in l. 2, ff. *Ad Macedonianum*.

(10. Secundus casus est, quando filius mutuum accepit in scio patre, qui tamen postea contractum ratum habuit, et approbavit, vel per expressum consensum, vel per solutionem partis mutui; et a fortiori, si filius mutuum accepit jussu patris, vel ipso sciente, et non contradicente, et pater erat solitus solvere mutuum filii, quia tunc cessat præsumptio, et periculum occisionis patris propter talem restitutionem faciendam, leg. ultima, cod. *Ad Macedonianum*.

(11. Tertius casus est, quando filius tempore recepti mutui credebatur esse sui juris, nec levi fundamento mutuans id credidit, vel ex eo, quod officium aliquod publicum exerceret, vel mercaturam, ut paterfamilias, quia tunc cessat præsumptio dicti periculi. Leg. *Si quis patrem*, l. penult., ff. *Ad Macedon.*, l. 1 et 2, Cod. eod. tit.

(12. Quartus casus est, quando filius mutuum accepit, et insumpsit in commodum et utilitatem patris, quia tunc nullum est periculum de nece patris propter solutionem talis mutui, cum in ipso casu pater ipse in defectum filii teneatur restituere. L. *Si filiifamilias*, et l. *Si tamen*, ff. *Ad Macedonianum*, et l. *Si permittente*, Cod. eod. tit.

(13. Quintus casus est, quando filius accepit mutuum ob causas, propter quas pater secundum rectam rationem tenebatur subministrare, v. g. propter necessaria ad studia, vel propter alimenta, vel causa negotiationis, in qua pater ipsum implicavit; tunc enim cum pater ipse teneatur restituere in defectum filii, cessat dictum periculum, et finis legis deobligantis ad restitutionem. L. *Macedoniani*. *Ad senatusconsultum Macedonianum*.

(14. Sextus casus est, quando filius, tempore mutui accepti, erat militiæ addictus, quia speciale privilegium est illius status, ut sic milites possint per accepta mutua suis indigentibus in bello providere. L. *Filiifamilias*, § *Sin autem*, cod. *Ad Macedonianum*.

(15. Septimus casus est, quando filius mutuo accepit, non pecuniam, sed rem aliam, ut triticum, vinum, et similia, dum-

modo illæ res in fraudem legis non dentur ea conditione, ut convertantur per alios contractus in pecuniam: nam senatusconsultum Macedonianum loquitur solum de mutuo in pecunia, adeoque non est extendendum ad alias res. Leg. *Sed Julianus*, § *Mutui*, ff. *Ad Macedonianum*. Dicitur autem notanter: « Dummodo illæ res non dentur in fraudem legis, etc. » quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent. C. *Sedes* 15, et c. *Ex tenore* 16, De rescriptis, c. *Tua* 12, De clericis non residentibus, c. *Ex litteris* 2, De dolo et contumacia; l. *In fundo*, ff. *De rei vindic.*; leg. *Cum hi*, ff. *De transact.*, et l. *Si legatarius*, cod., *De legatis*, cum similibus.

(16. Octavus casus est, quando filius non accipit mutuum, sed fidejubeat pro mutuuario, dummodo in fraudem legis fidejussione non palliet mutuum, quatenus pecunia mutuata ad ipsum deveniat, quia per mox citata jura fraus, et dolus alicui patrocinari non debent. Et ratio est, quia hic casus in jure non est expressus, nec ita præsumitur periculum necis in fidejussore, ac in principali debitore. L. *Si Julianus*, § *Item si duos*, ff. *Ad Macedonianum*.

(17. Præcisus supradictis casibus, quos admittunt communiter omnes doctores, filiusfamilias non tenetur ad restitutionem mutui, etiamsi renuntiaverit privilegio Macedonianum, quia senatusconsultum Macedonianum, non solum conditum est in favorem filiorum, sed multo magis in favorem parentum, ne scilicet ipsorum mors ob restitutionem talis mutui a filiis intentetur. Nemo autem renuntiare potest privilegio in favorem alterius, et in odium delinquentium, ducto arg. cap. *Si diligenti* 12, De foro competentis. Et sic tenent Lugo *loc. cit.*, n. 3; Rosignol., *loc. cit.*, sub n. 14, et alii passim cum infra citandis.

(18. Imo filiusfamilias nec tenetur ad restitutionem, etiamsi juraverit tale mutuum restituere; quia in fraudem legis posset quilibet filiusfamilias, ad facilius obtinendum mutuum, interponere juramentum de ipso restituendo, et sic semper vigeret periculum intentandæ mortis patris; pro quo periculo evitando, et tollendo, fuit conditum, et promulgatum dictum senatusconsultum Macedonianum. Tum quia tale senatusconsultum ex dictis supra, n. 8, non solum obligat, et valet in foro externo, sed etiam in interno conscientia, adeoque, ipso stante, juramentum non solum est contra leges civiles, sed etiam contra bonos mores, contra bonum commune, et contra jus quod habent parentes per talem legem acquisitum.

(19. Nec valet dicere cum Lessio, lib. II, c. 20, dub. 2, n. 6; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 9, et aliis, quod juramentum in alterius favorem factum servandum sit, quando absque peccato servari potest, uti absque peccato servari potest in hoc casu. Non valet, inquam, quia tale juramentum est contra bonum alterius, in præjudicium legis, et boni publici. Unde sine peccato servari non potest. Ita Panormitanus in cap. *Cum con-*

*tingat*, De jurejurando, n. 22; Innocentius in cap. *Quia plerique*, De immunitate Eccles., n. 26; Bartolus citatus, et secutus a Rosignol., *loc. cit.*, n. 14, in fine, et alii.

(20. Pupillus habens tutorem, et minor habens curatorem, si sine tutoris aut curatoris consensu aliquid nomine mutui accipiat, de jure civili non tenetur ad restitutionem, si illud amisit, vel imprudenter consumpsit; tenetur tamen, si ex ipso in aliqua parte factus sit locupletior. L. *Si frater tuus*, cod. *De filiofamilias minore*, ubi dicitur, « quod propter lubricum ætatis adversus eam cautionem in integrum restitutionem potuit postulare: » quod est notandum pro iis, qui minoribus sine curatorum, seu tutorum auctoritate dant mutuum. Dicitur autem notanter: « Si ex ipso mutuo in aliqua parte factus sit locupletior; » quia nemo ex re aliena cum injuria, et jactura domini potest ditescere, cap. *Locupletari* 48, De regul. juris, ibi: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. » Dicitur etiam notanter: *De jure civili*, quia per talem mutui acceptionem pupillus pubes, vel pubertati proximus, et minorenis obligatur naturaliter, sive in foro conscientia, ut ex communiori diximus sub verb. *Contractus*, n. 32, *Vide ibi*, a n. 28 ad 35.

(21. Mutuare indigentibus est consilium, sicuti dare eleemosynam: nihil tamen inde sperare tanquam debitum ex ipso mutuo, est præceptum. *Communis* cum Rosignolo, *De contractibus*, contract. 3, prænot. 7, n. 2. (22. Usura enim est prohibita, nedum jure humano ecclesiastico, ut patet toto tit. *De usuris*, sed etiam jure divino, ut habetur ex pluribus sacræ Scripturæ testibus; *Leviticus* enim xxv, 36, præcipitur expresse: *Ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quam dedisti*, et *ibidem*, 37, subjungitur: *Pecuniam tuam non dabis eis ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges*. Ezechiel propheta, xviii, 13, numerat inter peccatores *ad usuram dantem, et amplius accipientem*; et *Lucæ* vi, 35, Christus ipse dicit: *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Unde cap. *Super eo* 4, De usuris, expresse dicitur quod « usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur. » Et si aliquis pertinaciter assereret exercere usuras non esse peccatum, veluti hæreticus esset puniendus, ut est definitum in Clementina unica *De usuris*. *Vide verb. USURA*, n. 6. V. *Add. Cas.* in fin.

(23. Hinc mutuare ea intentione, ut acquiratur aliquid ex mutuo tanquam debitum ex justitia, etsi id minus principaliter intendatur, est usura mentalis. S. Thomas 2-2, qu. 78, art. 2, Cajetanus *ibidem*, art. 1, ad 4, et in *Summa*, verb. *Usura*, cap. *De usura mentali*; Navarr., in *Comment. de usura* 14, quæst. 3, cap. 10, n. 10; Molina, tract. 2, disp. 306, concl. 1; Sotus, lib. vi, qu. 2, art. 2; Lessius, lib. ii, *De justitia et jure*, cap. 20, dub. 5, n. 39; Rosignol., *loc. cit.* prænot. 9, n. 2, et alii passim, arg. *cit.* cap. vi *Lucæ*, ibi: *Mutuum date nihil inde sperantes*; et cap. *Consuluit* 10, De usuris.

ibi: « Consuluit nos tua devotio, an ille in judicio animarum, quasi usurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuum pecuniam credit, ut, licet, omni conventionione cessante, plus tamen sorte recipiat... Verum quia in his casibus, quid tenendum sit, ex Evangelio *Lucæ* manifeste cognoscitur, in quo dicitur: *Date mutuum nihil inde sperantes*; hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, cum omnis usura, et superabundantia prohibeatur in lege, judicandi sunt male agere, et ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi. »

(24. Mutuare cum pacto conferendi aliquid supra sortem, non tanquam debitum justitiæ, sed tantum amicitia et gratitudinis, est usura; sic habetur expresse ex propositione 24 inter merito damnatas ab Innocentio XI die 2 Martii 1676, ibi: « Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum, si exigatur, tanquam ex justitia debitum. »

(25. Mutuans non potest licite aliquid supra sortem exigere a mutuuario, ex quo se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. Sic expresse habetur ex propositione 42 inter justissime damnatas ab Alexandro VII die 18 Martii 1666, ibi: « Licetum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. »

(26. Mutuans non potest licite aliquid supra sortem exigere a mutuuario pro sola carentia pecuniæ, quam ei actualiter numeratam mutuavit; quia carentia illius pecuniæ ad aliquod tempus est intrinseca, et essentialis mutuo. Unde sicut nequit aliquid exigi pro mutuo, ita nec pro illa carentia; hinc Innocentius XI die 2 Martii 1696 jure merito inter alias damnavit sequentem propositionem 41 in ordine, ibi: « Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuuario exigere, et eo titulo ab usura excusari; » et ad id facit etiam alia propositio damnata ab Alexandro VII numero antecedenti allata.

(27. Mutuans cum pacto, ut mutuarius ei vendat res suas, etiam justo pretio, vel ut emat res ab ipso, vel ut utatur ejus molendino, seu frequentet ejus officinam, vel ut patrocinetur suæ causæ, vel conducat ejus prædium, vel ut restituat in alio loco, vel ut restituat partem in pecunia, partem in mercibus, vel ut eum eximat a tributis, seu vectigalibus, vel ut ei præstet munus a lingua, a manu, ab obsequio, et his similia, committit usuram, quia obligatio civilis quoad hæc omnia adimplenda est pretio æstimabili, cum sic imponatur mutuuario onus aliunde indebitum, et privetur sua libertate, adeoque mutuans, imponens ei pro mutuo talem obligationem, committit usuram. *Communis*.

(28. Item usuram committit mutuans cum pacto, ut mutuarius teneatur fidejungere pro ipso, quia tale onus, ut de se patet, est pretio æstimabilissimum, cum ea afferat commodum mutuanti, et incommodum, seu periculum mutuuario, adeoque mutuare cum tali pacto est usura. Cajetanus, 2-2, quæst. 78, art. 2, ad quartum; Sotus, lib. vi, *De justitia*, q. 1, art. 2, ante responsonem ad secundum; Joannes Medina, *De rebus per usuram acquisitis*, qu. 4, ad primum principale, et alii passim.

(29. Mutuare frumentum, vel vinum de præsentem, quo minoris valet, cum pacto, ut restituatur in eadem quantitate pro tempore, quo prævidetur certo, vel quasi certo plus valiturum, est usura, quia sic plus exigitur quam datur, et supra sortem datam imponitur mutuuario onus pretio æstimabile, quod scilicet restituere debeat in eadem quantitate pro tempore, quo prævidetur certo, vel quasi certo frumentum, vel vinum plus valiturum. *Communis*. (30. Non est tamen usura, si sit æquale dubium, an pro tempore restitutionis sit valiturum plus, vel minoris, quia tunc uterque contractuum æquali fortunæ sponte se subjicit: est enim tunc velut ludus sortis cum æquali jure, et periculo commodi, vel damni utriusque. *Communis*.

(31. Sic pariformiter est dicendum de pecunia mutuata cum pacto, ut restituatur in eadem omnino specie, et numero pro tali certo tempore; nam si æquale sit dubium, vel periculum incrementi, vel decrementi valoris ejusdem, nulla est usura propter rationem supradictam. *Communis*. Si vero certo, vel quasi certo credatur pro tali tempore augendum valorem, injustum et usurarium est tale pactum. Unde tunc non sunt restituendi tot omnino aurei, quot mutuo sunt accepti, sed solum tot ad ratam valoris ipsorum pro tempore mutui accepti. *Communis*.

(32. Excipe tamen, nisi ipse mutuator talem pecuniam, tale vinum, tale frumentum, et hujusmodi servaturus fuisset usque ad illud tempus, quo plus distrahere potuisset; tunc enim revera ejus intererat antea non mutuasse, et consequenter ratione lucri cessantis poterit pacisci pretium illius temporis, ab quo usque servaturus fuisset, deducta tamen æstimatione custodia, conservationis, laboris, vel periculi, quod servando frumentum, vel vinum, et hujusmodi interim subire debuisset. *Communis*.

(33. Mutuans potest sine labe usuræ pacisci, ut mutuarius teneatur aliquid ultra sortem ei restituere ratione damni emergentis; si enim, qui pecuniam destinatam ad emendum frumentum, vel vinum tempore abundantia mutuo det, et ob id postea cogatur emere cariori pretio, aut ex absentia pecuniæ mutuatae res suas viliori pretio vendere cogatur oboccurrentes necessitates, potest juste compensationem talis damni sibi emergentis in pactum cum mutuuario deducere, quia damnum illud emergens, quod subit